272. 273. 383. & bis quidem (p. sc. 250 & 254.) expressè me CAPUT CYNICUM, sive Caninum vocat.

Vidistin Dionysi? audistisne Capucini Hannoverani, Hildes: & Paderb: cùm juxtà Hermanni-scitum pag. 19. mea omnia censeri possint quasi communia Vestrûm universorum; Vos universi Conringio estis scurræ, impudentissimi, sceleśti ac pessimi homines, imò vix homines, sed potiùs vilissimi, fœdissimique Canes, quibus ipse dicere possit imperiosus:

ACTÆON EGO SUM! *Dominum cognoscite vestrum.*

Porrò, quemadmodum magnus ille Aman *pro nihilo ducebat unum* perdere Mardochæum, nisi periret cum ipso universa quodammodò natio Israëlitarum; ita & maximus noster non, ut voluit, adoratus Hermannus, pro nihilo duxit in unum sævire Dionysium, nisi cum eo Capucinos, imò & mendicantes tantùm non omnes, quin & ipsam Augustissimi Imperatoris, totque Serenissimorum Regum ac Principum Matrem Ecclesiam Romanam (quam pag. 173 *scabiosum* vocat *scortum*) sævissimis furoris sui ignibus ignominiosissimè ustularet.

Unde perurgente Justitiâ cogor eum sic insolescentem iteratò tangere & castigare; Faciam autem id quàm potero misericordissimè, & ne quidem æquissimo Retorsionis utens jure ipsum mendacii, mendacis, mendacissimi, aliorumque, quibus me ornavit, honorum titulis vicissim condecorabo; ne vel ego ei similis fiam, vel ille omninò crepet & disrumpatur: spero enim DEUM Opt. Max. Sanctis suis Francisco, Antonio, & Brigittâ, tametsi gravissimè læsis, intercedentibus facturum cum ipso signum in bonum, ut, qui oderunt Ecclesiam eius, videant & convertantur.

*Esther. 36.*

Quoniam verò infami illo Mendacii, mendacis, & mendacissimi convitio me penè centies falsissimum testimo-